

tem tempore suo gestam et plurimis fuisse notam. Bene igitur S. Leo, serm. VIII. de epiph. scripsit: « Hæc sanctis causa est tremendi ac metuendi, ne ipsis operibus pietatis elati, deserantur ope gratiæ, et remaneant in infirmitate naturæ. »

Ne ergo id in te fiat, mox et diligentissime mtere divinis auxiliis. Si Deus porrigit tibi manum, protinus tuam quoque porrige: si in naufragio tabulam subministrat, illico apprehende: si ostium pulsat, aperi confestim: si cum Paulo vocat, responde sine mora: *Domine, quid me vis facere?* si respicit cum Petro, continuo exi foras et amare fletu.

V. Intra nos videmus naturam ex lapsu Adami corruptam, velut sellam vetustate absumptam et teredines gignentem: videmus nostram labilitatem imo peccandi necessitatem, ut non possumus evitare omnia peccata, saltem venialia. Fanta enim est nostra fragilitas et inconstantia, ut levissimo tentationis flatu dejiciamur; ut anica musca, si nos paulo diutius infestaverit, laiciat irasci quandoque ad blasphemiam; ut modica afflictio nobis pariat tedium vitæ; ut una dies vel nox interposita omnia hominis proposita ac desideria mutet; ut singulis fere horis nova capiamus consilia, nova quæramus oblectamenta.

Ad hæc sumus quasi castellum, quod undique portas habet; per quas occupari potest, quinque videlicet sensus: et intra nosmetipsos habemus milites præsiarios, qui cum hostibus colludunt et perpetuo de traditione castelli tractant, concupiscentias nimirum. Quare uti castellanus ejusmodi in perpetuo est timore, ita et nos esse debemus.

VI. Extra et circa nos videmus hostes plurimos et validissimos, qui nobis diu noctuque insidiari non desistunt et contra nos conjurarunt, demones scilicet et mundus: « Artífex tegularius, inquit Chrysostomus, etsi valde peritus sit, cum timore tamen et tremore stat (in tecto) metuens ne ab ædificio decidat; et tu credidisti, multa bona patrasti, in sublime ascendisti: caute te ipsum continebis et cum timore stabis, oculumque vigilantem habebis, ne decidas: sunt enim multa nequitiae spirituales, quæ te dejicere conantur. » Sic ille. Et certe si talis artifex metuit ob id tantum, quia facile pes labitur et vertigine caput involvitur, licet nullos habeat hostes, qui dejicere illum cupiant? quanto magis timendum homini, qui præter labilitatem et imbecillitatem sensitam, habet etiam plurimos hostes, qui perdere ipsum laborant. Indignabantur nautæ Jonæ, quod in medio tempestatis dormiret secure, nihil

de tempestate sollicitus, Jon. I. Et quomodo nos possimus dormire in tot periculis et securi esse? Videmus quanta in angustia sint cervi cum agitantur, quomodo in fluvios et stagna se conjiciant, omnia perrumpant et transilient. Scribitur etiam eos lacrymari, cum inter angustias inevitabiles se constitutos vident. Neque mirum, intra se enim cor pavidum et infirmum habent, extra et circa se scolopetarios, ante se retia, retro canes allatrantes. Atque omnia hæc et plura terculamenta circa nos habemus, intra nos naturam fragilem, extra hostium insidias, retro peccata præterita, ante peccata futura: infra pœnas nobis debitas supra Deum potentissimum dominatorem, cardiognostam. Non ergo nos timebimus? Imo in tot terroribus non fundemus lacrymas? Sed nimirum evenit nobis quod latrunculis Syriæ, IV. Reg. VI. qui percussi cæcitate, non agnoverunt se in medio terræ hostilis esse. Proinde clamandum est ad Deum cum Elisæo: *Domine, aperi oculos istorum ut videant.*

Sane card. Bellarminus cum audisset aliquando, (ut in ejus vita, cap. XXXVI. scribit Marcellus Cervinus) magnum quemdam virum morti propinquum, ita securum de sua salute discedere ut omnibus diceret, bono animo essent, se salvum fore, extimuit, diabolicam fraudem videns, nec omisit, quin morituro confestim occurreret, et saluti ejus prospiceret, ac nimiam illam securitatem menti ejus eximeret, timoremque persuaderet.

Quare nemo nostrum sit, quem non accipiat timor, si velimus ingredi terram promissionis, quia: *Timenti Deum non occurrent mala*, ait Ecclesiasticus, c. XXXIII.

## CONCIO II.

### MORS CUR IN MUNDO RELICTA.

I. Ut peccatum execremur. — II. Ut mundi vanitates aspernemus. — III. Ad peccandi libidinem coercendam. — IV. Ad depressionem potentum. — V. In solatium miserorum, pauperum, et electorum. — VI. Ad exercitium Christi militum. — VII. Ad majorem Dei gloriam.

### THEMA.

#### *Accessit et tetigit loculum.* Luc. VII.

Cum hodierni evangelii historiam expendo, in mentem mihi venit grande illud miraculum, quod operata est arca fœderis, cum in adventu suo Jordanis aquas, quæ in mare mortuum influunt, divisit, et superiores quidem stare fecit, donec populus Hebræus Jordanem pertransiret, quibus transgressis, Jordan ad pristinum suum

cursum rediit, uti legimus, Josue, cap. III. et IV. Quid enim aquæ Jordanis in mare mortuum defluentes aliud significant, quam moriendi necessitatem mortalibus omnibus incumbentem? Ita enim mulier illa Thecutes dicebat ad Davidem: *Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terra, quæ non revertuntur*, II. Reg. XIV. Porro aquæ istæ rapiabant inter alios impetu suo adolescentem hodierni evangelii, qui jam efferebatur. Verum intervenit verissima arca fœderis Christus qui fecit ut starent aquæ: (*Accessit enim et tetigit loculum, hi autem, qui portabant, steterunt*) eduxitque de morte juvenem. Quo sane significat, se mortis triumphatorem, fideles sectatores suos per mortis vadum ad promissam felicitatem esse tractaturum. Verum quærat aliquis, cur mortem non omnino sustulerit. Quemadmodum enim aquæ Jordanis ad fluxum suum redierunt: ita moriendi necessitas suam adhuc vim obtinet, et ille ipse juvenis a Christo resuscitatus, postea a Jordane rursus ad mare mortuum abreptus est. Nonne melius fuisset, si Jordanem omnino siccasset, et mortem sustulisset? Breviter respondeo: Si hoc melius fuisset, Christus utique fecisset. Cum ergo hoc non fecerit, melius utique fuit relinqui in mundo mortem. Sed quam ob causam? Audiamus.

I. Respondet S. Augustinus, in l. de peccatorum meritis et remissione: ut homines peccatum horreant et execrentur: *Per quod mors intravit in orbem terrarum*, Rom. V. Quia enim peccatum in sua fœditate et horrore cernere non possumus: idcirco nobis reliquit Deus partum ejus monstruosum, quem cernere possemus, estque ipsa mors, peccati filia primogenita, (Job XVIII.) hoc est primaria et princeps inter cæteras ejus filias. Cum videmus pendulos in patibulo, quorum carnes jam defluxere, horrore omnes perfundimur. Et unde quæso illa tam tristis imago, tam prodigiosus fœtus, nisi a matre, peccato, quæ hunc partum genuit et florentem forma hominem tam turpiter vestivit? Cum cadaver hominis paulo diutius hospitatur in ædibus, intolerabile fit hominibus, omnes oclusis naribus transeunt et cadaver ejectum volunt. Quid si conspiceremus illud, postquam aliquot mensibus in sepulcro jacuit? Et unde horror ac fœtor ille, nisi a peccato? Quando in aliqua civitate dire grassatur pestis, quantæ ibi miseriæ? Quam fugit unus alterum? Quam repente extinguuntur homines? Quam ab omnibus deseruntur ægri, et quam misere ejiciuntur mortui in communem aliquam foveam? Quæ hujus calamitatis causa? Adam pater noster unicum pomum rapuit, rapiendoque unicum peccatum admisit; et ecce nos omnes

morimur et tam misere morimur. O vere fera pessima (peccatum) devoravit genus humanum! Fœdissimum prorsus peccatum fuit Sodomorum; cæterum ut fœditatem ejus homines et agnoscerent et mente retinerent, vide quid egerit Deus: *Sulphure et igne de cælo misso subvertit non modo civitates illas, sed et omnem circa regionem, universos habitatores urbium et cuncta virentia terræ*, Genes. XIX. voluitque Deus exaltare perpetuum monumentum hujus subversionis, nam conflavit ibi lacus salsus et bituminosus, qui nec pisces fert, nec vivum aliquid, indeque dicitur mare mortuum: et pisces eo delati ex Jordane, mox emoriuntur, ut scribit Tertul. in carn. de Sodomia aliique plurimi. Addit Philo, in l. de Abraham, mare hoc sive lacum, continuum fumum et sulphur, quasi reliquias incendii exhalare: et Borcardus, in descriptione terræ sanctæ: « Mare mortuum, inquit, semper est fumans et tenebrosus, sicut ego oculis meis vidi, ut videatur esse os inferni, adeo tetrum vaporem fumat, ut vicina ad mediam diætam scilicet ad quinque vel sex leucas sterilia reddat, ita ut ne germen quidem producant. » Et unde hæc tam tetra terræ illius facies? Unde mare illud mortuum et mortiferum, et quamobrem durat in hodiernum? Respondet Sapiens, Sap. X. *In testimonium nequitiae*, inquit, *fumigabunda constat deserta terra, etc.* quasi dicat: Voluit Deus exaltare monumentum peccati Sodomorum, ut inde homines intelligant nequitiam peccati, ex quo velut e fonte profluit mare mortis, quæ omnibus vitam adimit, quotquot nascuntur in mundum; quæ omnia subvertit, et cuncta virentia depascit omniaque fœtore et horrore implet. Et unde hoc nisi a peccato? Decuit igitur ut mors in testimonium nequitiae hominum suo loco constaret.

II. Ut mundi vanitates et carnis illecebras aspernemur, quando videmus floridam et juvenulam carnem tandem immutari in rugosam anum et tristem mortis imaginem. Quid ergo est quod colunt carnis amatores, nisi foetidum cadaver? Colebant Babylonii draconem magnum pro numine deque eo dicebat eorum rex Daniël: *Ecce nunc non potes dicere, quia iste non sit deus vivens, adora ergo eum*. Sed Daniel coxit massam e pice, adipe et pilis, et injecit ori draconis, qui præclusis faucibus mox diruptus est. Tunc ait illis Daniël: *Ecce quem colebatis?* Græce: *Ecce numina vestra?* Dan. XIV. En tibi effigiem carnis. Colitur hæc a Babyloniiis, id est, mundi sectatoribus et propemodum adoratur. Vident hi cultam Venerem, et pro dea habent; Dei enim veri lege et amore spreto rapiuntur in ejus amorem velut equi emissarii, adhinnientes equæ. Sed modicum

cibi noxi Venerem hanc occidit, et fugata anima dirumpit: tum jacet humi foetidum cadaver et a vermibus diripitur: *Ecce numina vestra? Ecce quem colebātis?* Saccus stercorum, sterquilinum nive contactum, cadaver putridum tabe dissolvendum, ex cujus spinæ medulla serpens enascetur. Quare S. Greg. XVIII. mor. huic inordinato carnis amoris remedium dat: *Caro cum concupiscitur, inquit, pensetur, quid sit exanimis, intelligatur quid ametur.* Narrat Suidas de Hypatia puella Alexandrina, quæ cum bonis consiliis adolescentem adamantem pellere non posset, pannos ei obtulit fluore menstruo foedatos, addens: *Hoc est, adolescens, quod amas; nihil autem pulchrum.* Eadem ratione correctus fuit abbas Elias libidine inflammatus, in prato spirit. c. XIX. Cum in extasi se vidit hiatu terræ absorptum ad locum cadaveribus plenum horridumque, data libertate ut iis fruereetur. Felix ergo mors, quæ cæcos amatores tam salubriter illuminat.

III. Ad malorum correctionem et effrenatam peccandi libidinem coercendam; quemadmodum et patibulum non exciditur postquam in eo fur unus et alter jugulatus est, sed relinquitur in aliorum furum terrorem et correctionem. Carolus V. imp. cum transisset aliquando Neapolim et vidisset per urbem passim equos pictos in ædibus et januis civium, absque fræno subsultantes, quæsitit quid sibi vellet equorum illorum pictura. Cumque responderetur esse urbis insignia: *Bene est, inquit, faciam ergo ut frænum habeant hi equi.* Itaque super urbem extruxit castellum munitissimum, vocavitque id *Labriglia*, hoc est, frænum, quo nimirum subjectam civitatem in obedientia continere et frænare cives posset. Refertur in descript. præcip. orbis civitatum Houfnaglii. Quis non videt in hoc mundo passim effrenatos homines, qui velut equi soluti insolentissime se gerunt, et nihil non mali perpetrant? Prævidit sane Deus tales in mundo futuros et his longe plures, si fræno caruissent. Quid igitur egit? Mortis castellum inexpugnabile rebelli mundo opposuit, imo et præposuit, ut in illum mors sua vibraret tela ad eundem continentum in timore Dei. Hoc est, quod David dixit et petiit a Deo, Ps. LIV. *Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes,* hoc est, mortem sibi imminentem semper præ oculis habeant horreantque et quasi jam degustent. Sed quamobrem o propheta? Subdit immediate causam: *Quoniam nequitia in habitaculis eorum, in medio eorum, q. d. quia pleni sunt nequitia.* Quando itaque invalescit homo sceleribus, vel familia vel tota aliqua civitas, tum

venit super illos mors et immittit eis telum morbi lethalis vel pestilentiaæ sævientis. Non sufficiebat fames, bellum, aliaque plagæ, saltem ad divites coercendos, mors necessaria fuit, quæ ubi appropriat, tum incipiunt homines descendere in infernum viventes, mortem meditari et frænum sibi iniecerunt, vitamque emendare. Vultu hujus descensus exemplum, etiam in gentili homine? Plutarch. l. de sera num. vind. narrat Thespesium sceleratæ et deploratæ hominem fuisse, de quo consultum oraculum, num quæ spes foret eum emendandi, respondit: *Melior est, postquam fuerit mortuus.* Paulo post Thespesius gravi casu collisus per triduum exanimis jacuit, tertio die ad se rediit. Interrogatus quid habuisset, dixit, in hoc casu animam suam eductam e corpore prorsus aliam esse factam: alia enim omnia vidisse et sensisse, perinde ac si quis e navi in mare corruat, alia sentit et sapit; vidisse se penas inferorum; quemdam etiam e cognatis vita functis ad se accessisse et salutasse: *Salve Thespesi.* Cui ille: *Non Thespesius vocor, sed Aridaus.* Mox anima: *Aridaus fuisti, sed deinceps Thespesius, id est, divinus.* Ita factum, qui antea sceleratus erat, bonus et justus effectus est. Annon tibi videtur in hoc impletum esse, quod dicitur Job XXI. *Ipsæ ad sepulera ducetur, et congerie mortuorum vigilabit?* Et quam multi tales, qui nisi ad portas mortis ducerentur, nunquam evigilarent? Si enim hodie plerique cum tam multos videant mori et efferrî, nihilominus jocantur et rident: quid si nunquam morituri essent?

IV. Ad depressionem divitum et potentum, qui altius de se sentiunt, et alios contemnunt. His enim nisi immineret mors, quid, quæso non machinarentur? Eorum insolentiam quis mortaliū ferre posset? Exemplo sit Alexander M. qui oppressis Asiæ regibus omnium terror factus, eum nec mori nec vinci posse videretur, eo insolentia devenit, ut pro deo haberi vellet. Subornarat enim Jovis Hammonis sacerdotes, ut rogati, cujus filius esset Alexander (erat autem ex adulterio natus), responderent: *Jovis Hammonis,* ita Justinus, lib. XI. Et hic antequam pervenisset ad annum trigesimum tertium ætatis, Asiam pene totam vastavit. Quid, quæso, malorum non designasset, si immortalis fuisset? Verum in medio ejus imperio, robore et ætate, cum esset annorum scilicet triginta duorum et octo mensium, morte sublatus est, cujus extinctionem pathetice descripsit Daniel illis verbis: *Fractum est cornu magnū,* Dan. VIII. ubi de Alexandro M. fortissimo Græcorum imperatorum, violentam ejus mortem vaticinatur.

Mors enim instar crocutæ omnia dentibus frangit, protinusque devorata conficit in ventre, teste Plin. l. VIII. c. XXI. Quid Nabuchodonosor? Quanta ejus superbia fuit, qui Deum cœli contempsit? Nonne ipse, Dan. II. caput aureum statuæ illius, quam in somnio vidit, vocatur a Daniele; cæteræ vero monarchiæ argentum, æs, et ferrum? At vero unius lapis, sine manibus abscissus de monte, visus illi est totam statuam conterere, ita ut aurum, argentum, æs, ferrum et testa pariter, contrita sint. Pariter, hoc est, aurum æque ac testa, ferrum æque ac argentum. Lapis ille mortem refert quæ abscissa sine manibus, hoc est, improviso et ignotis plerumque ex causis homines obruens, ita conterit divites sicut pauperes, reges sicut colonos. Et sane cum se Nabuchodonosor extolleret contra Deum dicendo: *Nonne hæc est Babylon civitas magna, quam ego ædificavi, etc.* statim in ipsum ejusmodi lapis cecidit, quando, ut inquit Daniel, c. IV. vox de celo ruit: *Tibi dicitur Nabuchodonosor rex regnum tuum transibit a te.* Quare ne potentes nimium, insolescerent, et opprimerent debiliores, posuit Deus in mundo mortem velut lapidem capitibus eorum imminentem, ut scirent se quoque esse homines et cum aliis morituros. Salutarem hunc timorem illis imprecat David, Psal. IX. cum ait: *Constitu Domine legislatorem* (Hieronymus et Chaldaeus vertunt, *terrorem*) *super eos, ut sciant gentes, quoniam homines sunt.* Quis iste legislator? Quis hic terror nisi mors, quæ etiam summos et potentissimos docet esse homines, videlicet ab humo dictos et in humum reversuros.

V. In solatium miserorum, pauperum et electorum. Tanta est enim Dei bonitas, ut supplicium peccati verterit in remedium omnium malorum, quæ incurrimus per peccatum. Mors autem afflictis desideratur uti merces, et quies post laborem. Unde Job dies afflictionis suæ et aliorum vocat dies mercenarii, qui præstolatur finem operis et mercedem vespere dandam, c. VII. et XIV. Desideratur veluti pax post bellum, et lectus post iter longum. Id quod Isaias, c. LVII. dixit: *A facie malitiæ collectus est justus* (ne videlicet deinceps posset perverti, vel etiam a reprobis adversa pati): *Veniat pax, requiescat in cubili suo, qui ambulavit in directione sua.* Ita nos bene precamur mortuis: *Requiescant in pace.*

In solatium pauperum cedit, non tantum quando moriuntur ipsi, sed etiam quando moriuntur opulenti. Videbis enim multos divites, qui tota vita sua nihil egenis tribuant, sua saltem opulentia dignum: at cum ipsorum ædes mors pulsare incipit, tum jubent fieri eleemosynas, nullo accipientium habito respectu. Hinc

non male fabulæ Plutum sive Ditem, divitiarum deum in adventu claudum, in recessu alatum esse fingunt: quia divitiæ lente velut claudis pedibus adveniunt in vita, in morte vero avolant alis aquilinis. Et quemadmodum Deus dedit gratiam populo Hebræorum coram Ægyptiis, ut commodarent ei vasa aurea et argentea, atque ita spoliarentur ab eo, Exod. XII. ita etiam dat gratiam pauperibus coram divitibus morituris, ut spolia ab ipsis tollant.

In solatium electorum: hi enim nihil magis desiderant, quam mortem, quæ ipsis non tam mors, quam ostium est vitæ. De istis ait Job, cap. III. *Qui expectant mortem, et non venit, quasi effodientes thesaurum gaudentque vehementer, cum invenerint sepulcrum.* Consuetum erat illis temporibus thesauros in sepulcra condere, unde qui thesauros fodiebant, gaudio gestiebant, cum effodientes terram in sepulcrum incidebant. Similiter ergo justî, qui thesaurum suum in cœlo quærun, mortem avidè præstolantur, et cum invenerint suum sepulcrum, gaudio perfunduntur, quia thesaurum suum inveniunt.

VI. Ad exercitium, meritum et gloriam Christi militum, qui cum morte luctando maximas coronas erant reportaturi, quod fecerunt imprimis martyres; deinde, quotquot amore Christi, Ecclesiæ, justitiæ et proximorum, periculum vitæ adeunt; denique, quotquot morti se obsidenti prompto offerunt animo, et venienti obviam eunt. Ut ergo Lacedæmonii hostem aliquem sibi superesse voluerunt ideoque certam urbem, quæ sæpe multum negotii ipsis facesebat, delere noluerunt, quod dicerent: *Cotem juventutis non esse destruendam,* Maiol. to. III. canic. coll. III. ita etiam Christus voluit militibus suis superesse mortem, ut in ejus aggressu viros se ostenderent, adeoque sibi ipsis propria virtute immortalitatem compararent. Potuisset Hebræos Deus ita in Palestinam ducere, ut mare rubrum non transirent. Cur igitur, dicet aliquis, per mare illos duxit? Vel cur mare rubrum non penitus siccavit? Propterea haud dubie, ut in hoc transitu Judæi cordatos se ostenderent (quod primus omnium fecit Moyses, proximus Aminadab dux tribus Judæ) dum inter duos liquidos parietes soli Deo nixi inciderent, et ut simul ipsorum hostes in eo mergerentur. Simili ratione potuisset quidem Deus declinare nos a morte et alia ratione ad cælum evocare. Voluit tamen potius per amaram mortem ejusque horrenda pericula, et tormenta transiremus, ut in illo transitu totos nos in ipsum projiceremus necnon hostes nostros capitales (peccata scilicet, quæ a tergo nos sequuntur) ad unum

omnes mergeremus, a quibus alioquin, si mors nulla esset, vix unquam nos expediremus, quemadmodum et Ægyptii non cessassent persequi Hebræos, nisi vi maris abrepti essent. Ausim affirmare majorem partem e plebe christiana, quæ salvatur, sub mortem ingruentem primum perfecte ad Deum converti. Ibi ad Deum fugimus, ibi sacerdoti conscientias explanamus, ibi ad sacramenta recurrimus, ibi omnia nostra Deo et confessario committimus, ibi denique, ut speramus, projicit Deus peccata nostra in profundum maris, quo modo et Ægyptii ferebantur in profundum. Et quantum hoc mortis bonum! Quam lætabimur in illo sæculo, cum videbimus illos Ægyptios ad littus hujus mundi jacere ad unum submersos! Quale e armen Deo canemus!

VII. Ad majorem Dei gloriam, ut haberet Deus, quos a morte resuscitaret; quod majus quiddam est, quam arcere mortem: sicuti majus fuit resuscitare Lazarum jam quatrinduo sepultum et foetentem, quam servare, ne moreretur; et Jonam e ventre ceti illæsum expui, quam ab ejus faucibus præservari. Absorbet quidem mors fideles, sed quasi vivos retinet ob spem resurrectionis, in qua eos iterum evomet. Longe magis illustrata est Dei potentia, quando diviso mari traducti sunt Hebræi, quam si eo declinato, aliam tenuissent viam: ita etiam magis elucescit Christi gloria, cum per mortis iter incolumes nos educit ad patriam cælestem, quam si alio modo id faceret. Ipse velut Moyses crucis suæ baculo mare divisit, et primus omnium transiit; quis hunc ducem non sequatur? Tunc gratias illi agemus, tunc: *Omnia ossa mea dicent: Domine quis similis tibi?*

## CONCIO III.

QUÆ POTISSIMUM VITIA JUVENIBUS VITAM ABRUMPANT.

I. Ebrietas. — II. Libido. — III. Iracundia. — IV. Contumacia. — V. Prava societas. — VI. Otium.

## THEMA.

*Hi autem, qui portabant, steterunt.* Luc. VII.

Triste spectaculum, auditores, cernimus in hodierno evangelio: juvenem, filium unicum matris suæ efferri de Naim civitate ad tumulum, de loco pulchro (Naim enim *pulchrum* significat) ad sepulcrum, seu locum minime pulchrum, (sepulcrum enim quasi sine pulchro, dictum.) Certe hoc spectaculum ad commiserationem movit ipsum Salvatorem nostrum, ut docet evangelista. Quale vero spectaculum foret, si

videremus hujusmodi juvenem ad sepulcrum efferri viventem? Atqui sunt quam plurimi hujusmodi adolescentes, qui dum vivunt, efferuntur propere ad sepulcrum, dum iis indulgent vitiis, quæ vitam eis abrumpunt, ita ut quodammodo sepeliantur ante mortem. Hujusmodi portitores sunt inprimis ebrietas, libido, rixa, impietas in parentes, prava societas, etc. Quibus proinde obviandum et imperandum esse, ut sistant, visum mihi est, si tamen fieri potest. Sane ad occursum Christi et contactum loculi, steterunt gestatores in hodierno evangelio. Ergo et nos tangamus saltem voce et admonitione talium adolescentum animos, imperemus vespillonibus, qui vivos adolescentes efferunt.

I. Horum primus est crapula seu ebrietas, quæ sane inter juvenes ingentem edit stragem. Nam ait S. Chrysostomus, ho. I. ad pop. *Non ita terræ natura vexatæ aquarum superabundantia continue dissolvitur, ut corporis vis molescit, diffuit et exilis redditur vini potu continuo ingurgitata.* Sane cernimus in agrorum sulcis, qui aquis diu oppleti sunt, nihil frugum crescere, sed mergi et suffocari segetem. Rursum cum inundant aquæ terram supergressæ in domos irruunt, non modo suppellectilem omnem vastant, verum etiam domum ipsam sæpenumero subruunt, cum scilicet majore impetu eam invadunt, vel diutius occupant. Pari modo in homine corrumpuntur nimio potu vires totius corporis, tandemque omnino convelluntur et concidunt. Supra nominatus Chrysost. hom. IX. in Gen. corpus nostrum comparat navi, ebrietatem fluctibus. Quis autem nescit mergi navim cum fluctibus opprimitur? Et quemadmodum continuo exhauritur navis, ne aquarum copia prægravata subsidat: ita potatorum corpora perpetuis pharmacis exhaurienda sunt. Jactantur præterea vertigine, velut naves a fluctibus agitatae, quia potui innatat eorum phantasia. Atque hinc, ut opinor, orta fuit juvenum illorum Agrigentinarum in Sicilia mania seu dementatio, qui, ut scribunt Athenæus, l. II. ex Timæo, et Rhodiginus, lib. XVII. c. II. ex nimia ingurgitatione adeo insanierunt, ut cum in domo simul essent, terribili se tempestate jactari omnes crederent, ideoque suppellectilem omnem foras ejicerent, velut navim exoneraturi, ex quo facta domus illa *Triremus* dici cepit. Vere enim animæ illorum in vino natabant, et corpora velut naves in tempestate fluctuabant. Quid sustulit Balthasarem, Simonem Macchabæorum, Holofernem, nisi ebrietas? Quid Zenonem imperatorem Græcum vivum sepulcro intulit, et ibidem mori coegit nisi ebrietas? Quid Attilam, quid Alexan-

drum Magnum in ætatis flore, nisi temulentia? Proposuit is aliquando certamen et præmium bibulis, ex quibus Promachus, qui præmium tulerat, triduo tantum superstes fuit. E cæteris unus et quadraginta nimia ingurgitatione examinatus sunt, adeoque in hoc vini naufragio perierunt quadraginta duo juvenes, Maiol. to. II. coll. VII. Quare si qui adolescentes potui jam assueti et hepate tam inflammato sunt, ut semper potum appetant, cogitent hi se certo certius jam efferri ad sepulcrum, nec ab eo se longe abesse.

Viderint hic parentes, qui tenera liberorum corpuscula potui assuefaciant, vel assuescere sinunt. Quid enim aliud agunt, quam ut eos vivos ad sepulcrum efferant?

II. Incontinentia seu libido, quia hæc non tantum corpus exhaurit, et variis morbis obnoxium facit, verum etiam externis vitæ periculis et cor rivalium insidiis aliisque ædibus exponit. Ebrietas, ut vidimus, velut aqua nimia, at incontinentia velut ignis depascit adolescentes. Eo respexisse videtur David, Ps. LXXVII. cum ait: *Juvenes eorum comedit ignis.* Non enim statim devorat suos alumnos ignis luxuriæ, sed paulatim comedit: uno morsu depascit eis colorem, altero robur, altero sanitatem, post inficit morbo gallico vel bubone, tum paralyti, etc. Ac licet ignis hic foris non appareat, intus tamen hominem depascit velut videré est in carbonum acervo, cum uruntur. Communis medicorum sententia est (apud Hippol. Guarinonium, l. V. c. LXII.) nihil ita immaturam et præproperam mortem accelerare, ac Venerem. Pantheram scribit Plut. l. VIII. c. XXXVII. tam esse excrementorum avidam, ut si in vase suspendantur altius quam ut ea possit attingere, tamdiu saltibus petat, donec decidens expiret. Quid vero obscena libido, nisi fædum excrementum? Hoc ergo dum obsceni insano amore appetunt, se ipsos viribus exhauriunt, et immatura nece perimunt: vel quandoque perimuntur ab aliis per insidias externas, quemadmodum Amnon, qui primo pantheræ instar sororis amores ambiit, ita ut propterea ægrotaret, II. Reg. XIII. Verum paulo post a fratre Absalone propterea interemptus est. Quid perdidit Ninus regem nisi obscenus amor? Habebat hic concubinam Semiramidem (ut Sabellicus narrat apud Maiol. to. III. coll. II.) quam insane adeo deperibat, ut servus ejus fieret. Nihil erat, quod petere ab ipso pellex non auderet. Itaque cum aliquando teneri se alicujus rei magno desiderio diceret, unius diei scilicet imperium ut sibi concedatur, risit rex et mox edixit statuto die ut omnes reginæ obedirent; qui secus faceret,

IV. PARS FESTIVALIS.

morte plecteretur. Ibi mulier regio cultu induta, et in solo regio conspicua, stipata satellitibus, omniumque concursu, imperii hujus brevissimi exitum spectare volentium. Illa primo res leviculas tentandorum animorum gratia imperat, mox majora. Tandem ut adducatur rex: adducitur; ut vinciat: vincitur; ut occidatur: occiditur; atque hoc pacto regnum ipsa sibi obtinuit stabilivitque, et ex diurno diuturnum fecit. Atque isti sunt montes Gelboe (qui exponuntur *decursus* seu *acervus pluviarum*; unde montes lubrici fuisse videntur a copia pluviarum) quibus imprecatur David: *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia super vos, quia ibi abjectus est clypeus fortium* (Saulis et Jonathæ) II. Reg. I. Lubrici isti montes quid nisi carnis voluptates designant, in quibus tot cecidere fortes, et abjecerunt robur animi sui?

Quare si parentes optant filiis suis vitam sanam et longævam, ipsi sint eorum medici, et servant eos diligenter a turpitudine.

III. Iracundia. Hæc enim non tantum intus exedit hominem, sed etiam in præsentissima vitæ conjicit discrimina. Ira enim contentionem, contentio rixam, rixa necem denique parit. Unde apostolus, ad Gal. V. ait: *Quod si invicem mordetis et comeditis, videte, ne ab invicem consumamini.* Incipitur communiter a morsibus vexationum, postea venit ad comestionem et dilaniationem, id est, criminationem, (uti legit S. Ambrosius) tandem ad consumptionem, duellum et interneccionem. Audiamus hujus rei mirum et rarum exemplum. De duobus fratribus ex familia Liminæ Patavina antiquissima memorat Bernardinus Scardeonus, lib. III. in descriptione urbis Patavii, qui cum sero aliquando sub dio in atrio domus stellas spectarent et confabularentur, alter ait per jocum, precari se tot sibi boves, quot stellas micare videret. Tum alter item per jocum: Utinam cælum esset pratium, idque meum. Ubi tu, inquit, tuos pasceres boves? Ille: In prato tuo. Rursus alter: Quid si nollem? Subjecit alter: Etiam te invito. Tu me invito? Etiam, iterat, te invito. Sic altercando risus in iram, ira in rixam conversa, dum neuter alteri cedere vult, exertis utrinque pugionibus mutua se cæde confodiunt. Exanimis hinc ille, alter illinc, reperti, delati in domum extincti sunt. Videtis iracundiæ lucrum. Quis unquam ludat eum lusum, in quo scit se lucrari nunquam posse, sed semper perdere debere? Nemo nisi stultus. Atqui in duellis aut ferieris tu et perdes, aut feries et iterum perdes, quietem conscientiae, nummos qui confiscantur apud magistratum, famam, forte et vitam, atque ut